



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 59. Oranii Principis discessus e Belgio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul XVI.
A.C. 1567

riretur: cum autem Egmontius Comes obsequiorum quæ se præstitisse credebatur, fiducia tumidus esset, respondit, quod ipse quidem cuncta sibi a Regis clementia polliceretur, quamprimum hic Princeps pacatas, tranquillâsque Provincias cerneret. Ad hæc reposuit Oranius Princeps: *Perdet te hæc, quam jactas, clementia Regis, Egmonti! ac videor mihi, prævidere animo, utinam falso, te pontem scilicet futurum, quo Hispani calcato, in Belgium transmittant.* Hoc dicto tanquam de præfagio suo certus, atque Egmontium postrema vice viturus, eum arcte, nec sine utriusque lacrimis amplexatus abscellit.

§. LIX.

Oranii Principis discessus e Belgio.

Grotius l. c.
l. I.
Thur. l. 41.

Orangius Princeps postridie datis ad Gubernatricem literis orabat, ut ea, quæ nunc egisset, quosque sæpe labores domi, militiæque, pro Regis commodo, ac dignitate pertulisset, benigne interpretaretur ipsa, Et Regi in memoriam revocare dignaretur, se certe Celsitudini ejus, quibuscunque demum in terris ageret, addictissimum perpetuo fore. Post hæc cum uxore, ac familia sua, excepto Philippo filio suo natu maximo, quem Lovanii studiorum causa reliquerat, Bredam oppidum suum petiit, ubi paulum mora-

moratus, Cliviam, & postremo Dilem-
burgum antiquam Nassavorum Sedem,
exeunte Mense Aprili, se recipit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

§. LX.

*Fœderatorum plures orta dissensione
juramentum exsolventes.*

Tum Egmontius Comes Gubernatrici
ultra operam offerre, remque cu-
rare publicam solito intentius cœpit,
nam & Sacramentum, uti pollicitus
erat, peculiari forma dixit, & distur-
batus per inferiorem Flandriam Consi-
storii, oppida nonnulla ipse sex pedi-
tum signis stipatus exarmavit, & alie-
num se adeo ab aliquorum Fœderato-
rum consilio ostendit, ut se penitus ab
eorum familiaritate segregaret: post-
quam igitur Fœderati se Oranii Princi-
pis, & Egmontii Comitis societate de-
stitutos cernerent, certatim plures alii
fœderi invicem promisso renuntiabant,
atque eorum quamplurimi suam secu-
ritatem Gubernatricis præsidio commit-
tere satius ducebant, quam sese pericu-
loso diuturnæ oppositionis fato expone-
re: unde hoc Sacramentum, cui an-
tea vehementer reclamabant, a non
paucis dicebatur, imo & Hornanus, &
Hochstratus Comites æque, ac ceteri
illud nuncupabant, plures vero fuga
sese subdixerunt. Trajectenses quoque